



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

## **Biennii Peripatetici**

Complectens Quæstiones Logicales Una Cum Institutionibus Dialecticis Ad  
Antiquorum Recentiorumque Mentem Resolutas, Nec Non Juxta Modernam  
Scholarum Peripateticarum Methodum Elaboratas & Explicatas

**Kretz, Marquard**

**Heripoli, 1749**

Articulus I. Quid, & quotuplex sit discursus?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52248](#)

## DISPUTATIO I.

## De Discursu in genere.

## ARTICULUS I.

*Quid, & quotuplex sit Discursus?*

538. **D**ico. Discursus, ab analogia cum cursu materiali, in quo currens ab uno ad aliud progreditur, sic dictus, est *Oratio*, in qua unum ex alio infertur. v. g. Deus est summum bonum; ergo est summè amandus. Id, ex quo infertur, *Antecedens* est, vel *Præmissæ*. Id, quod infertur, est *consequens*. Ipsa connexio antecedentis cum consequente dicitur *consequentia*, exprimiturque per particulam *Ergo*, vel æquivalentem. Dum negatur consequentia, negatur veram dari connexionem consequentis cum antecedente, ob quam consequens inferri ex antecedente legitimè possit. Continuit hoc subinde, licet antecedens, simul & consequens de se verum sit. v. g. *Aristoteles est substantia; ergo est homo*, ubi consequente de se vero, negatur consequentia; quia consequens non legitimè infertur, cum Aristoteles non ideo est homo, quia est substantia. Adverte hic, in discursu consequens, nunquam verò consequentiam distingui; hæc enim necessariò vera, vel falsa est: illud autem plures habere sensus potest, adeoque quoad unum sensum connexum esse potest cum antecedente, & non connexum quoad alterum. Hinc conceditur dari consequentiam, si consequens accipiatur secundum.

secundum unum sensum, & negatur dari, si sumatur secundum alterum. Prætereà hic notandum venit, quod consequentia bona esse possit vel *materialiter*, sive *vi materiæ*, vel *formaliter*, sive *vi formiæ*. *Bona materialiter* est, quando consequens ex antecedente tantum inferitur, ob connexionem ipsarum rerum inter se, non autem ob terminorum, & propositionum dispositionem; tinde in alia materia, in qua similis connexio non est, licet sit similis dispositio, malè talis consequentia inferetur. *Bona formaliter* est, quando consequentia est legitima ob terminorum, & propositionum dispositionem, ita ut in nulla simili argumentatione dari possit antecedens verum, consequente falso. Exempla horum in Philosophia passim occurruunt.

539. Dico 2. Discursus alias est *virtualis*, alias *formalis*. *Virtualis* est actus simplex veritatem unam in alia attingens, & cognoscens: v. g. *Deus est summè amandus, quia summum bonum*; hic discursus angelis convenit. *Discursus formalis* est illatio unius ex alio per plures distinctos realiter actus. Porro discursus species sunt sequentes: *Inductio*, *Exemplum*, *Dilemma*, *Sorites*, *Enthymema*, *Syllogismus*. De quinque prioribus speciebus consule Dialecticam P. Du Trieu *Traet. 3. P. 2. Cap. 3. a. 1. & seqq.* De syllogismo, tanquam specie discursus perfectissimâ in sequenti disputatione fusius agetur. Hic ea solùm adhuc pertractanda, quæ discursum in genere concernunt.